



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

V. Quali poenitentiae subiacere debeat qui presbyterum voluntarie morti tradiderit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO CHRISTI 895. IV.

Si quis presbyter, (quod absit, quia sacerdos altissimi Dei est,) vulneratus, vel quibuslibet iniuriis & contumeliis dehonestatus, euaserit & superuixerit, tota compositio persoluatur presbytero. Si autem articulo mortis præuentus obierit, precium vveregeldi tripartita partiatur diuisione, id est, altari cui ordinatus fuerat, pars vna: episcopo, in cuius diocesi erat, altera: tertia parentibus, de quibus ortus fuerat. Si vero in atrio ecclesiæ aliquid ex istis presbytero factum fuerit, supradicto modo presbytero & pro presbytero soluatur. Sed quia, vt Hilarus papa omnibus episcopis per diuersas prouincias in epistola sua scribit, iniuria sacerdotum & ecclesiarum, sacrilegium est, sacrilegium in atrio factum, altari & domino eiusdem loci persoluatur. Sacerdotes enim non sunt lace-randi, sed potius coronandi: quia de his Ecclesiasticus liber loquitur, dicens: *In tota anima tua time* Ecd. 7. *Dominum, & sacerdotes illius sanctifica, & ministros eius non derelinquas, & honorifica sacerdotem.* Et Isidorus: His enim, sicut & episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est. præsumt enim ecclesiæ Christi, & in consecratione diuini corporis & sanguinis consortes sunt episcopis: similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi.

V.

Si quis sacerdotem, non coactus, sed propria voluntate seductus, morti tradiderit, secundum sententiam apostolicorum & nostrorum moderni

LIII iij

Rigor pri-
scæ pœni-
tentia.

temporis sacerdotum, quinquennio plenissimæ ca-
stigationi pœnitentiæ substernatur, ita vt car-
nem non manducet, nec vinum bibat, ieiunet au-
tem vsque ad vesperam, exceptis dominicis & die-
bus festis. Arma non portet, & vbiq; que eat,
pedibus incedat, ecclesiam non intret, sed ante
fores stet, orans Dominum puro corde, vt abluat-
ur tanto crimine. Expleto vero quinquennio,
introducete episcopo, ingrediatur ecclesiam,
nondum tamen communicans, sed * intra audien-
tes stans. Et aliud quinquennium indulgentius in-
troeat indultum. Quo vero expleto, cum decimi
anni cursus fuerit expletus, gratia communicandi
& licentia concedatur ei. Maneat autem in reli-
quis obseruationibus tres dies per hebdomadam,
vt purificationis mereatur culmen.

ANNO
CHRISTI
895.

VI.

Matth. 26.

Si quis temerarius atrium ecclesiæ euaginato
gladio præsumptuose intrauerit, sacrilegium facit.
Et idcirco sacrilegium in atrio Domini factum,
sacrilegii more altari & Domino persoluatur. Do-
minus dicit in euangelio: *Omnes enim qui acceperint
gladium, gladio peribunt*, id est, qui se ipsos vice
talionis per peccatum in præsentem vlcisci deside-
rant, gladio ipsius peccati in anima moriuntur.
Quanto magis is, qui * secundum atrium, quod * sancta
Dominus sibi præ ceteris segregauit locis, & suæ
sanctæ ecclesiæ ad honorem, polluerit, & temera-
rius irruperit, gladio peccati & iniquitatis suæ
mortuus iacuerit? Quapropter opus est pœniten-
tia, vt resurgat ad vitam qui gustauit mortem.